

duſ Justinianus præfuit . Hæ proſpero curſu aliquandiu vagatæ multa Genuenſibus damna intulerunt , erantque adhuc majora illaturæ , niſi opportuna utrique populo pax , anno jam quinto ex quo bellari cœptum fuerat , circum-actō , ſecuta eſſet . Cautum utrique populo & ſociis , nec mari tantum , ſed terra quoque : cum Bernabovē & Galeacio , qui Joanni Vicecomiti ſucceſſerant , bellum depoſitum . Reſtituti hinc inde captivi : quorum Genuenſes , qui ad duo millia fuere , feſta Magdalenæ luce vinculis ſoluti , ad illius ædem longo agmine , quaſi Divæ ſuam ſalutem gratulaturi , cum luminibus acceſſere . Movit novum illud ſpectaculum civitatem ad religionem , ut jam inde diem ipſum , quod antea non fuerat , inter ſolemnes ac feſtos habuerit .